SALUBERRIMÆ MONSPELIENSIUM MEDICORUM ACADEMIÆ

BENE DE SE MERITISSIMÆ
SIBIQUE IN ÆTERNUM COLENDÆ
GRATITUDINIS ERGO

D. D. C.

HOC PRIMUM DOCTRINÆ MEDICÆ
SPECIMEN.

AUGUSTINUS MOREAU ex Anglâ apud Pictones, Artium Liberalium Magister.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum.

M. DCC. X.

QUÆSTIO MEDICA

An Diaphoretica Lethargo.

Propoſita à R. D. ANTONIO MAGNOL Profeſſore Regio Digniſſimo.

Pro primâ Apollinari Laureâ Conſequendâ.

LETHARGUS eſt affectus Comatoſus, febre lentâ, & oblivione magnâ ſtipatus, à quo ægri vel ſpontè, vel vehementi objecti ſenſibilis impreſſione excitati, membra retrahunt, oculos aperiunt, interrogati reſpondent, & denuò in ſomnum relabuntur.

Lethargus diſtinguitur in primarium, qui ſine ullo alio præcedente morbo invadit; & ſecundarium, qui alteri ſupervenit. Eſt quoque vel legitimus, de quo dictum eſt in definitione, vel ſpurius, qui ſomnus eſt apparens cum inexpugnabili vigilandi neceſſitate & delirio, diciturque Typhomania ſeu Coma vigil. Hîc agimus dumtaxat de legitimo.

Cauſa Comatoſi illius affectûs eſt ſpirituum in cerebro penuria, & inertia, fibrarum ejuſdem, ſicut & organorum externorum mollities, & flacciditas. Hinc ſenſuum externorum actus, in quorum induciis conſiſtit ſomnus, obſcurè tantum elici poſſunt; nec mirum, cùm pauci effœtique ſpiritus versùs ſuos fontes repulſi nequeant, ut par eſt, flaccidas vibrare fibras cerebri, & ſic concitare in animâ vividas perceptiones juxta leges à ſapientiſſimo Opifice ſancitas.

Penuria verò ſpirituoſi laticis in ſopore Lethargico tribuenda eſt parciori ipſius in ſanguine geneſi, compreſſioni glandularum ſubſtantiæ corticalis ac vaſorum excretoriorum, vel obſtructioni vaſculorum hujuſmodi & glandularum; eaque aut omnibus allatis cauſis ſimul conſpirantibus, aut nonnullis dumtaxat conferentibus ſymbolum.

Parciùs generantur ſpiritus ob maſſæ ſanguineæ deliquium, vel ob craſſam & lymphaticam ejuſdem diatheſim ſpiritibus affatim gignendis ineptam. Maſſa ſanguinea patitur deliquium ob ſalium acrimoniam, & fermentationis luctam, quibus carminantur & diſcerpuntur ſulphura, è quorum ergaſtulis particulæ aquoſæ expeditæ ſalia diſſolvunt, & quamdam fluxilitatem terrenis atomis conciliant; nec eſt quod cauſam diatheſis ſanguinis hìc expromamus.

Comprimuntur acini glanduloſi & ductus excretorii, vel illuvie ſeroſâ quæ ſtagnante cruore profluit, vel ſanguine limoſo & aquoſo in cerebri vaſis retento, grumis ipſius circulo obicem ponentibus, vel eodem ſanguine eadem vaſa ſegniùs peragrante; ſive id procedat à proprio ipſius vitio, ſive à præternaturali illius viſceris mollitie, ſive tandem à tumoribus œdematoſis, aliiſve id genus, quorum plura vel pauciora concurrere poſſunt. Obſtruuntur verò glandulæ & vaſa excretoria à materie lymphaticâ unà cum ſpiritibus in eorum cavitates irrepente, & in illis propter craſſitiem & viſciditatem moram trahente.

Inertia ſpirituum oritur ex ſero ipſis uberiùs permixto; ſerum autem unà cum ſpiritibus per ipſorum incernicula traducitur, vel à ſanguine concreſcente per ſpongioſi cerebri mæandros ipſis ſuggeritur. Ex vitio ſpirituum & ſanguinis facile eſt deducere mollitiem & flacciditatem fibrarum cerebri & organorum externorum.

Autopſiâ deprehenſum eſt in pluribus Lethargicis, vaſa cerebri ſanguifera præter naturæ modum fuiſſe diſtenta, ſubſtantiam corticalem diluvio ſeroſo inundatam & piam menyngem ab eâ divulſam. Ad hæc, non rarò Hydrocephalus in Lethargum migrat, eoque ſœpe corripiuntur phlegmatico temperamento præditi, & ſenes in quibus ſerum redundat, in veternum procliviores ſunt.

Lethargicorum febris referenda eſt in ſalia magnitudine, figurâ, & pororum amplitudine diſparia; eaque lenta eſt quòd febrile fermentum vehementem febrem inducere non poſſit ſanguini ſpiſſo, & pituitoſo, aut colliquato, in quo ſalia heterogenea ut pote ſero reſoluta, minoris ſunt molis, & aliunde intricata nimis, quàm ut valde intenſum fermentationis motum ipſi indere queant. Pulſus eſt parvus, quòd flui-

dum cordis motivum minoris energiæ, ac minori copiâ suppeditatur; proindeque impar illud est cordis contractionibus in totum perficiendis; vel etiam quòd aquoso latice dilutum tantæ sit tenuitatis, ut citò in cellulis machinulæ illius principis colligatur, & priùs dissipetur quàm contractiones perficiat; ideoque singulis contractionibus, exigua sanguinis quantitas è sinistro cordis thalamo expellitur in Aortam. Si rationibus jam adductis addamus, cor virtute suâ elasticâ parvo temporis intervallo parva percurrendo spatia, ad pristinam suam dilatationem se restituere, frequentioris pulsûs causam assequemur.

Propter spirituum animalium penuriam ac inertiam, nec-non villorum reminiscentiæ inservientium mollitiem obliterantur vestigia rerum quæ tempore paroxysmi animo obversantur; si tanta fuerit eorumdem villorum concidentia & flacciditas, ut prorsùs inhabiles evadant ad repetendos consuetos tremores. Hinc patriæ, parentum, necessariorum, imò & proprii nominis, rerumque omnium oblivio; hæc autem in variis pro gravitate causarum, major aut minor, diuturnior aut brevior.

Expergiscuntur ægri, membra retrahunt, oculos aperiunt, interrogati respondent; quia nec spirituum generatio prorsùs impeditur, nec natura eorum planè pervertitur, nec secretio omninò prohibetur, nec quid refluxui aut influxui penitùs obstat, nec demùm villi omnimodè subsident; urgente tamen causâ somni, in illum denuò relabuntur.

Adjungunt Lethargo delirium Authores, paucis exceptis; sed obliviosi sunt Lethargici, non deliri; nec possunt propter oblivionem cohærere ipsorum responsa. In delirio nimis tenduntur fibræ cerebri, & acriores ideò sunt ipsarum vibrationes; in Lethargo ità sunt flaccidæ, ut diù non possint intentam reddere animam.

Rariùs ac debiliùs respirant ægri, longiori enim tempore opus est, ut sufficiens spirituum copia in musculos thoracis elevatores ad eorum contractionem perficiendam derivetur; paucique ac inertes, quibus illi irradiantur musculi, debiliores tantùm nisus edere valent.

Relaxatâ pulmonum substantiâ, cùm humorum & spirituum vitio, tùm horum penuriâ, sanguis per labyrintheam ejus compagem tardiùs fluens, uberiùsque accumulatus, distentis vasis tubulos nerveos distrahit, spiritusque ad scaturiginem repellit; undè qui hospitantur in cerebro, uberiori copiâ influunt in musculos respirationi dicatos, & maxillæ diductioni prospicientes. Hinc genuinam oscitationis expositionem depromimus. Diductam verò inter oscitandum maxillam

interdùm adducere obliviſcuntur ægri; vel ſpirituum penus ad illam adducendam non ſuppetit.

Petitio matulæ neceſſaria eſt, non delira; ſique eâ acceptâ non mingant Lethargici, hoc oblivioni tribuendum, aut ceſſanti ſtimulo. Tùm ſi exciderit matula è manibus ægri, aut vires in eo imbecilliores argue, aut oblivionem.

In ſupino ſitu facilè decumbunt, in quovis autem alio difficulter, quandoquidem vires quibus carent, aliquantulo majores ad ſuſtinendam ex parte corporis molem requiruntur.

Saliva affatim, glandulis ſalivalibus flacceſſentibus, profluit; ex dictis Lethargicorum inhabilitatem ad motum colligere eſt.

Fermentum gaſtricum ubertim per relaxata cola effuſum ſalinis quibus ſaturatum eſt ſpiculis, ſtomachum laceſſit ad motum periſtalticum. Hinc alvi profluvium, continuato illo motu per totam inteſtinorum longitudinem, non reluctante ani ſphinctere.

Glandulæ miliares cuticulæ ſubſtratæ, amiſſo elatere ac tenſione, fluidorum appulſui cedunt; quamobrem gelidus emanat ſudor, præſertim in extremis, utpote remotioribus à vivifici caloris officinis.

Intercepto ſanguinis per cerebrum curſu, is majori copiâ appellit ad faciem & oculos, in quibus retardato ipſius motu ob ejuſdem moram in pulmonibus, fit tumor congener ſanguinis craſi, favente horizontali ſitu.

Tuſſis ſi quæ ſit in Lethargo, cauſam adſcribimus ſero ſalſo, quod à ſanguine tracheæ, & pulmonum oras ſegniùs perluſtrante depluit, interiorem eorum membranam irritat, refluxum promovet, & influxum in muſculos reſpirationis determinat.

Pro diversâ ſanguinis diatheſi, urinæ turbidæ vel limpidæ excernuntur; ſanguine inſpiſſato, ſerum dumtaxat limpidum effluit; diſſoluto, ſalinæ, ſulphureæ, & terrenæ partes lotio admiſcentur. Alia ſi quæ ſint ſymptomata, facilè ex præmiſſis deducentur.

Jam ad cauſas remotas progrediamur; in earum albo reponantur quæcumque majori ſeri proventui coarcervando apta; hæc ſunt, urinæ & perſpirationis ſuppreſſio, febres putridæ, malignæ & colliquativæ, liquorum ardentium compotatio, cibi frigidi & humidi, aër Auſtrinus & vaporibus refertus, ætas ſenilis, temperamentum pituitoſum, vita ſedentaria, immoderatus Narcoticorum uſus, exercitia vehementia, graviora animi pathemata &c.

Diagnoſis. Lethargus per affectum Comatoſum convenit cum Apo-

plexiâ, Caro, & Comate somnolento, à quibus per alias definitionis particulas discrepat; in Lethargo Caro & Comate excitantur ægri, membra retrahunt, non item in Apoplexiâ; Lethargici & Comatosi interrogati respondent, non Carotici; in Lethargo adsunt febris & oblivio, à quibus alii affectus quos cum illo contulimus, sunt immunes. Ex temperamento, ætate, vivendi ratione, & prægressis, discernitur an accusanda sit sanguinis concretio, an dissolutio.

Prognosis. Unanimi medicorum omnium consensu, Lethargus multùm portendit periculi; nec mirùm, cùm spiritus vitæ ministri, vel in sanguine non generentur, vel generati ad animæ solium non admittantur, vel admissi lethæis undis immergantur; respiratio, sine quâ vita consistere non potest, summoperè periclitetur; maximus sit æconomiæ animalis à naturali statu recessus; immineat Apoplexia, aliique morbi gravissimi. Audiamus divinum senem in Aphorismis; *Lethargo affecti intra septem dies pereunt, quos si evaserint sani fiunt*. Ratio est, quia per id tempus morbus vim summam exerit, cui si natura non succubuerit, à languescente hoste palmam refert. Copiosa sputorum & muci nasalis excretio, bonum omen; etenim materiæ morbificæ fit evacuatio. Parotides etiam intumescentes earumque suppuratio aut empyema, salutaria; quippe sanguinis fæces exonerant. Phrenitis salutis spem affert; aucto enim motu & calore succutiuntur villi, serum illos relaxans dissipatur, unde ad suum tonum restituuntur. Urinæ tenues, malæ; quia majorem æquò sanguinis concretionem designant, unde tumores producuntur in cerebro, cujus substantia est valdè mollis, & vasa minùs firma. Nec quid melius urinæ nimis turbulentæ indicant; siquidem nimiam sanguinis colliquationem arguunt. Sphacelus cerebri letho viam sternit.

Curatio eò collimare debet, ut luxurians serum eliminetur, supernatans sanguini admisceatur, salia humores colliquantia foras ejiciantur. Præmisso igitur Enemate, quo educatur crassiorum intestinorum saburra quæ massam sanguinariam contaminare posset, Phlebotomia, si vires id ferant, celebranda venit. In diathesi sanguinis crassâ, depletis vasis, ille liberiùs circuitum suum obit, & aucto fermentationis motu, serum partim excutit, partim resorbet; in oppositâ verò constitutione præsentes tumores aufert, futurosque præcavet. Deinde ad Cathartico emetica confugiendum, promptiùs enim & tutiùs, primarum viarum sordes everrunt, totum quàm latè patet

corpus ſuccutiunt, effuſum ſerum è latibulis abigunt, & in proprios alveolos cogunt, ſopitos ſpiritus ſuſcitant, & in univerſos corporis muſculos derivant. Si hæc veternum excutere nequeant, in ſubſidium vocanda Ptiſanna cum Sennâ parata, cujus plures Cyathi in die ægro propinandi ſunt ad evacuationem continuandam. Si ſuppreſſio urinæ in causâ fuerit, ſanguis liberali manu emittendus, & potio purgans cum Manna & Caſſiâ, quæ mirum in modum reſerandis renum obſtructionibus conducit, exhibenda. Si adſint Parotidum tumores, non expectanda eorum maturitas, ſed ſtatim aperiendi; ne affluxum novæ materiei interim impediant, aut materiam in ſe contentam ad ſanguinem tranſmittant, demùm ut detur locus novæ materiæ depoſitioni. Cùm Diaphoretica indicationes ſuperiùs propoſitas adimpleant, jure concludimus.

ERGO Lethargo Diaphoretica.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.	*PROFESSORES REGII.*
R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius.*	R. D. Petrus Magnol.
R. D. Joanes Chaſtelain, *Decanus.*	R. D. Antonius Deidier.
R. D. Joannes Bezac.	R. D. Petrus Rideux.
R. D. Petrus Chirac.	R. D. Petrus Chaſtelain, *Patris Coadjutor.*

DOCTORES AGGREGATI.

R. D. Henricus Haguenot. R. D. Joannes Henricus Haguenot, *Patris Coadjutor.*

DOCTORES ORDINARII.

M. Euſtachius Marcot. M. Joannes Aſtruc. M. Antonius Fizes.

Hanc quæſtionem, Deo auſpice, favente virgine Dei-parâ, Præſide D. D. ANTONIO MAGNOL *Profeſſore Regio, propugnabit in auguſtiſſimo Monſpelienſis Apollinis fano* AUGUSTINUS MOREAU *ex Anglâ apud Pictones, Artium Liberalium magiſter, & jamdudum Medicinæ Studioſus, ab horâ octavâ ad meridiem, Die mensis Iunii* 1710.